

Q.K.428,35.

784

A R A M
M I S E R I C O R D I A E

DESCRIBIT

A C

X 23A 6743

II h
811

REDEVNTIS AD VITAM CHRISTI
VERAE MISERORVM ARAE

FESTVM SACRVM



RITE PIEQUE CELEBRANDVM

COMMENDAT



ILLVSTR. RVTH. COLLEGIVM

P E R

IOANNEM CHRISTOPH. MACHER

PROFESSOREM ET SOC. LAT. IEN. COLLEGAM.

G E R A E

EXCVD. 10. GE. SCHRADERVS, CELSISS. AVLAR
CHALCOGRAPHVS.

Si virtutum aliae, vt veterum nonnulli docent, viriles magis et seuerae sunt; aliae contra magis velut muliebres *a)*: Atheniensium profecto ciuitas, et si rei quoque militaris, adeoque virtutum virilium, laude non caruit, principatumque Graeciae fortitudine sibi et peperit, et tenuit diutissime; leniorum tamen virtutum molliorumque gloria clarius etiam, quam illarum fama, exsplenduisse quondam nobis videtur. Ita enim, inde ab origine sua, his dedita fuit, vt Neptuni Mineruaeque, de vrbis nomine, lis *b)*, quam, cunctis deorum suffragiis, perdidisse ille dicitur, nihil putetur aliud indicare, quam eum in modum placidis tranquillisque virtutibus operam dedisse ciuitatem, vt non dei alicuius, sed deae, imperio regi crederetur. Quam in rem quum etiam mansuetiora studia, quibus apprime se dabat, et numinum, quae maxime colebat, ratio, et alia plura commemorari a me possent: vnam tamen MISERICORDIAM, virtutem, vt maxime muliebrem, ita propriam Atheniensium, ad vincendum satis esse opinamur, eos fuisse mollium, quam seuerarum virtutum, studiores. Miseris enim vndique omnibus perfugio esse ac solatio *c)*; ac, bonitate sua, infelices reddere felices, eosque ad incolumitatem perducere *d)*, ita in praecipuis illorum virtutibus numeratur, vt, vrbem suam communem miserorum aram esse, non vani praedicarent *e)*.

Cuius rei nunc alia quidem documenta e longinquo petere necesse non est, quum virtuti illi, cuius laude vni omnium Graecorum maxime florere gestiebant, aram, in celeberrimo vrbis loco, dedicatam ab ipsis reperiamus. Explicant igitur mihi

Timona

a) EUSTATHIUS in Iliad, A. p. 18.

ed. Rom. Φάμενοι τῶν ἀρετῶν ταῖς μὲν ἀρρένωποις καὶ αὐδερώδεις, οἷον τὴν ἀνδρίαν, τὸ τῆς δικαιοσύνης ἐπεξελεφυτὸν κατὰ αἰδικούμφων, τὸ τῆς φρονήσεως δραστικὸν, καὶ τὰ τοιαῦτα ταῖς δὲ θηλυτέρεσσι, διὰ τὸ μαλακώτερον, οἷον τὴν ἐπιεικειαν, τὴν φιλίαν, τὸ περάν, τὸ ΕΛΕΙΝ, καὶ ὅσα τοιάδε.

b) APOLLODORVS L. III. c. 8.

c) ARISTIDES in Panathen. Τὴν πανταχόθεν δυσυχούντων υποδοχίαν καὶ παρεμπορίαν.

d) ID. de pace II. Τοῖς καθ' ἑκάστους αὐτοχοῦσι κοινὴ πᾶσιν ὑπεινεύτυχία τὸ τῆς πόλεως τάπις ἡθος, ὑφ' οὗ σωζονται.

e) SOPHOCLE in Oed. Colon. v. 664.

Κοινὴ παρὴ ήμιν αἱέν εἴτε εἴτια.

Timona Luciani nuper, et in eum incidenti locum, quo fit de
ARA MISERICORDIAE mentio, operaे pretium fore visum est,
quae apud veteres de illa reperirem, colligere; præsertim quum
arae pacis eamdem operam, ante hos aliquot annos, diligenter
inuari meminisse; hanc autem nostram, et si pelurs attigil-
sent f), a nemine tamen, peculiari studio, illustratam scirem.

Primo vero si ARA M ISERICORDIAE, quam tot scri-
ptores antiqui testantur, Athenis olim fuisse, multis veterum lo-
cis ambitiose probandum putaremus, iure nobis aliquis vulga-
tum illud: γλαῦκ' εἰς Ἀθῆνας, opponeret. Cui enim non dictus
Hylas? In foro, Pausanias inquit, aram stetisse misericordiae, cui
numini, quod eius, hominum in vita rerumque conuersationibus,
magna esset utilitas, soli omnium Graecorum Athenienses ho-
norem habuissent g). Atque, ut Latini etiam alicuius suffragium
habeamus, eadem de re, Statium audiamus, qui

Vrbe fuit media, canit, nulli concessa potentum

ARA deum, mitis posuit CLEMENTIA sedem h).

Quem tamen ad locum illud monendum ducimus, aram et si CLE-
MENTIAE sacrae fuisse Papinius docet, virtutem tamen non
cam intelligi, ad quam misericordia quasi dux quaedam sit, quae
- docet, ut poenis bonum, vel sanguine pasti.

Terpe ferumque putes: ut ferrum, Marte cruentum.

Sic cum pace premas, ut non infensus atendis

Materiem praestes odiis: ut fontibus ultro

Ignouisse velis: deponas ocyus iram.

Quam moueas: precibus nunquam implacabilis obfes;

Ovata prostratas: prostrataque, uore leonum,

Despicias, alacres ardentes qui frangere tauros.

Transflidunt praedas humiles: i)

2

cuique

f) præcipui sunt FABRICIVS ad
Sext. Emp. contra mathem. 9. p. 187. VOS-
SIVS in theol. gentili L. VIII. c. 14.
p. 411. 10. MEVRSIUS in Ceramico c. 8.
ITEM, IIII, thes. Gronou. p. 974. BAR-

g) in Atticis c. 17. p. 39. ed. Kuhnii.

h) in Thebaid. XII. v. 481, vid. LI-
BAN. in presbeut. et relatione De-
mosth de ara, QVINTIL. inst. orat. V.
II. 38. alii.

THIVS in comment. ad Statium T. III.
p. 1504. et quos hic plures laudat.

i) CLAVDIANVS de laud. Stilic.
II. v. 13. seqq.

III

cuique aram Romae Senatus, in Tiberii honorem, ponendam *k*); et templum, post bella ciuilia, vt Caesari, victoriis suis clementer vlo, gratias ageret *l*), dedicandum censebat; sed ipsam misericordiam indicari. Nempe, quam per metri numeros suo nomine dicere non poterat, tantisper clementiam appellare, de re magis, quam vocabulo sollicitus, poeta voluit.

Vt vero solent ferme, in aperiendis rerum originibus, dissentire inter se homines eruditi, praesertim tam vetustarum, et ab hac nostra memoria longissime seiuistarum: ita magna sententiarum varietate disputant et antiqui et recentiores illi, quinam sit, qui princeps eam aram constituerit? Sunt, qui eius initia ad Hyllum *m*), Herculis et Deianirae filium, qui circa Trojanum excidium viuebat; sunt, qui ad Heraclidas referant, qui octoginta fere annos post, pulsi ab Eurystheo, Athenas, vt ait Lutatius, vetus Statii interpres, configurerunt. A quibus postquam tam facile auxilium meruerant, hanc aram consecrassae memorantur, afferentes, apud Athenienses tantum sedes misericordiam posuisse *n*). Sunt porro, qui Athenienses ipsos illius auctores ponant, quos eam illo tempore posuisse coniiciunt, quo Thesei, regis sui, ossa ex insula Scyro, anno circiter septingentesimo tricesimo post Hyllum, in urbem suam deportarent *o*). Sunt denique, qui dls originem eius adscribendam esse contendant:

- - - - *ipso nam credere dignum*
Caelicolas, tellus quibus hospita semper Athenae,
Ceu leges hominemque nouum, ritusque sacrorum,
Seminaque in vacuas hinc descendentia terras:
Sic sacrasse loco commune animantibus aegris
Configuum p.

Qua in sententiarum diuersitate difficile est, iudicare, quae proxime a vero absit. Interim quum veterum complures, Heraclidas

k) TACIT. Annal. III. c. 74.

n) SERVIVS ad Aeneid. VIII. v. 187.

l) PLVTARCHVS in vita Cael. p. 642.

STATIVS l. I. v. 497.

m) LVTATIVS ad Statii l. I. vid.

o) VOSSIUS l. I. p. 410.

MEVRSIUS l. I.

p) STATIVS l. I. v. 499.

clidas Athenis aram iam reperisse, testentur ^{q)}: illorum autem coniectura, qui ossa Thesei occasionem eius constituedae praebuisse putant, rem vetustissimam aetati paullo recentiori tribuere, atque cum ara misericordiae Thesēum templum, quod et ipsum asylum erat, neque ita longe ab hac nostra situū ^{r)}, confundere videatur: restat, ut eorum subscribamus iudicio, qui deos ipsos arae nostrae ponunt auctores. Deos inquis? rem omnium fabulosissimam, immo, extra poetarum ingenium, nullam? ita; sed ea mente, qua veteres deos suos rei vetustae auctores appellare consueuerant. Nempe quoties in eas res incidunt, quae turpitudini ducuntur inter homines, ut in humilitatem gentis et natalium labem, ad deos statim eas referunt, ne quis amplius de iis quaerat ^{s)}. Iam, ut Romulus, adiiciendae multitudinis cauffa, ne vana vrbis suae magnitudo esset, VETERE CONSILIO CONDENTIVM VRBES, asylum aperuit Romae ^{t)}: ita conditorem Athenarum eadem ratione obscuram: atque humiliem conciuisse ad se multitudinem, eamque in rem misericordiae aram posuisse, arbitramur. Postea vero quam vel originis suae, vel robotis, ciues iam poeniteret, cauffam eius fabulis involuebant; initium autem ad deos, certe heroas, referebant. Sed, vna, pluresne, huiusmodi arae fuerint Athenis, aliquam quidem dubitationem habere quibusdam propterea visum est, quod Sextus Empíricus plures commemoret ^{u)}. Verum quum alii scriptores omnes uno, quod sciam, ore tradant, non nisi vnicam fuisse, recte Fabricius ^{v) παῦν}, eam in Sexti oratione figuram esse iudicat, quam grammatici συνενδοχὴν appellant.

Satis etiam constat, arae signum aliquod adiectum non fuisse, nec victimas in ea oblatas esse.

NVLLA - - - EFFIGIES, nulli commissa metallo
FORMA DEAE ^{x)}.

9) APOLLOD. I. 3. Ἡρακλῆς, εἰς Αθίνας αὐτούς μερος, ἐπὶ τοῦ ἔλεου βωμὸν κατέθυγε. ZENOBIVS Cent. 2. prou. 61. STATIVS l. I.
r) de quo vid. MEYRSII Theseus, c. XXXI. p. 132.

3 Neque
s) vid. DIO CHRYS. ORAT. 15. l. de seruire, p. 238. B.
t) LIVIVS L. I. c. 8.
u) contra mathem. VIII. 187. πα-
g) Αθηναῖς βωμοί τινες εἰσι.
x) STATIVS l. I. v. 439.

VI

Neque enim vel omnibus, vel omni tempore, gentibus placuit, consecrare diis templis, aut simulacula illorum ex aere fingere *y*). Sed haec pluribus hic persequi, necesse non est. Locum potius, in quo steterit illa, quaeramus. Atque hic errare nos haud sinunt antiqui scriptores, quippe qui eam in FORO, ut Pausanias ait, vel, ut Statius inquit, MEDIA IN VRBE fuisse perhibent *z*). Cuius vero situm fori si quis est, qui nosse cupiat, ei ducem itineris se lo. Meursius praebet, ipsumque, a porta, qua itur a Phalero Athenas, per eam maxime porticum, quae fana quedam deorum habuit, et gymnasium, quod a Mercurio nomen habebat, in illud deducet, neque longe inde Ceramicum abesse ostendet *a*).

Si rem, vti est, Papinius descripsit, neque, vt solent poetae, ingenio suo indulxit, fuit illa in nemore quodam, lauris oleisque denso.

Mite nemus circa, cultaque insigne verendo,

*Vittatae laurus, et supplicis arbor oluae *b*).*

Certe ab aliarum gentium moribus minus id abhorret: hic autem, quod alii auctores parum expressi habent, in medio relinquendum videtur *c*). Ipsa vero ara variis auxiliis impetrati monumentis, quae supplices grati reliquerant, velut *avadhuacor*, erat exornata.

Maestrarum, - super libamina, ferta comarum.

Pendent, et vestes, mutata sorte, reliquæ.

Quum scriptores, citerioris potissimum memoriae, veram originem vel ignorantes, vel dissimulantes, humanitatis (*φιλαρθρωνιας*) tamquam primariae alicuius ciuium virtutis; vel ostendit *d*), vel tribuenda aliis *e*), studio, ARAM MISERICORDIAE, perhibeant, ab Atheniensibus conditam esse: facile, cui bono in foro illa steterit, intelligitur.

MISER.

y) vid. DEMPSTERVS ad Rosia. Celtic. Sect. I. c. 3. p. 42.

Antiqu. L. I. c. 2. p. 85.

d) APSINES l. i. de arte rhet.

z) vterque loco supra laudato.

apud MEVRIVM l. l. EVMENIVS,

a) vid. eius Athenae Atticae L. I.

in oratione pro scholis instaurandis.

c. 3. p. 11. b) l. l. v. 489.

e) SCHOLIASTA Luciani ad Timon.

c) vid. OVID. Fast. II. v. 67. DEM-

ESTERVS l. l. KEYSLERVS Antiqu. tom. I. p. 5. ac 45. ed. Graevii, et tom. II.

p. 26. LIBANIVS in presbeut.

MISERI fecere sacram, sine SUPPLICE missione
Illa nouo.

Nempe MISEROS putabant, quicunque, vi oppressi, aut, nullo suo merito, eiecti patria, confugiebant Athenas, ciuiumque fidem supplices implorabant. Facinorosis enim sceleratisque patuisse, recentiori potissimum aeuo, non videtur: vt nec miseri sunt impii atque scelesti; sed calamitatis, vel publicae, vel priuatae, iectu aliquo pulsi et afficti, immo saepe innocentes f). Tantum vero abest, vt ciuibus tantum ea solatio fuerit et perfugio, vt peregrini etiam, in urbem delati, eo configerent, seque, communem misericordiam implorare atque exposcere, ita indicarent.

- - - N V L L A damnavit vota repulsa,

quod exempla peregrinorum apud Statium et Claudianum g) fatis confirmant. Immo deprecantes etiam pro aliis ad eam accessisse, liberorum exemplo, corpora patrum, apud aram misericordiae, ad sepulturam reposcentium, discimus h).

Qui vero, salutis cauſa, ad illam confugiebant, non ture, non sacrificiis; sed vultu, sed voce, omnique corporis habitu, miseratione multitudinem confluentem permouere solebant: nam

Parca supersticio, non turea flamma, nec altius

Accipitur sanguis, lacrimis altaria sudant

- - - datum et SOLIS numen placare QVERELIS i).

Stetisse adhuc videtur imperante Iuliano k), neque ante forsitan excisa esse, quam quum, Theodosio iuniore ita iubente, deorum commentitiorum templa plane diruerentur, sacrilegique ritus prorsus abrogarentur. Tanta vero eius fuit omni tempore claritas, vt non modo DEAE ARA, tamquam eximie, interdum vocaretur l); sed plura etiam inde ducerentur proverbia, ac sermone quotidiano celebrarentur. Ut enim taceamus, credibile quibusdam m) videri, Latinos eo respexisse, vbi aram, pro

salutis

f) vid. ASCONIUS in Verr. de praetura vrb. p. 81.

g) STATIVS l. l. v. 510. CLAV-

DIAN. de bello Gildon. v. 404.

h) ZENOBIUS Centur. l. adag. 30.

i) STATIVS l. l. 486.

k) LIBANIUS in presb. ad illum.

l) HERACLIDES in gentium frag-

ment, apud MEVRSIUM l. l.

m) vt LVATATIO Grammatico l. l.

et CAELIO RHODIGINO lectionum antiqui, L. VI. c. 17. p. 161.

OK III 811
 salutis asylo, ponerent: ipsi etiam Graeci, si quem applicare se ad aliquam rem magno studio intelligebant, ad eam, tamquam ad misericordiae aram, illum dicebant configere *n*); et qui, nullius se miserturum, minabatur, ille se misericordiae aram esse curaturum, negabat *o*). Quod ut satis cuiuis, veteres legenti, apparet: ita illis assentiri non possumus, qui **ARAM IGNOTI DEI** eamdem, quam **MISERICORDIAE**, fuisse, animum sibi inducunt *p*). Si fuit enim misericordiae sacra, quo iure ad ignotum deum eam pertinuisse putabimus?

Sed satis sit, haec, pro angustiis spatii, in quod inclusi sumus, de prisca misericordiae ara Attica disputasse. Accedimus ad augustiorem multo diuinioremque misericordiae aram, quam non leuitas populi alicuius, varii et inconstantis; sed ipsa **DEI IMMORTALIS** bonitas nobis miseris posuit; ad **CHRISTVM** videlicet, **SERVATOREM OPTIMVM MAXIMUM**. Cuius cogitatio quum hoc potissimum tempore morarinos in se totos debeat, iuuenem quoque ornatissimum, ac nobis in primis carum,

CHRISTIANVM GOTTLIB MARTIVM, *Vidensem*

ad se ita conuertit, vt, quum publicae pietatis nostrae, quo **CHRISTVM**, in vitam reuertentem, prosequi fas est, interpres esse statueret, *de sepulcro eius, tamquam praecipuo misericordiae diuinae, erga nos, monumento*, Latine dicendum sibi putaret. Cui pietatis communis, erga **CONSERVATOREM** nostrum, professioni publicae vt volentes propitiique **EPHORI SUMME VENERABILES**, omnesque **DIVINAE HUMANAEQVE SAPIENTIAE** VEL **ANTISTITES**, VEL **CVLTORES**, INTERESSE, eaque re magno nos afficere beneficio velint, oramus, obsecramus. P. P. Gerae d. XV. Aprilis, A. O. R. clo IdCC LIIII.

n) **LUCIANVS** in his accusatis. *T.* II. p. 228. *ἀσπερ ἵκέτην ἐπὶ τῷ ἑλέου βαμούν, ἐπὶ τὴν ήδονὴν κάταφυγῶν.* *o*) **IDEM** p. 136. in *Timone*. *p*) **LAVRENT, RHAMIREZ DE PRADO** pentacont. c. 16.





Q.K.428,35. 184
A R A M
M I S E R I C O R D I A E


DESCRIBIT

A C

X 23A 6743

REDEVNTIS AD VITAM CHRISTI
 VERAE MISERORVM ARAE

FESTVM SACRVM



COMMENDAT



ILLVSTR. RVTH. COLLEGIVM

PER

IOANNEM CHRISTOPH. MACHER

PROFESSOREM ET SOC. LAT. IEN. COLLEGAM.

G E R A E

EXCVD. IO. GE. SCHRADERV, CELSISS. AVLAR

CHALCOGRAPHVS.

